DVBIVM EST VTRVM IVDEX RETROCLAMORVM POSSIT ESSE ASSESSOR CAPITANIÆ GENERALIS ABSQVE

Contrafactione rubricæ, & Constitutionis primæ tit. *Que ningu pugue tenir sino vn offici de Iurisdiccio en vn matex lloch.*

1 CONSTITVTIONIS primæ verba sunt sequentia: *Algun home no puga tenir en vna matexa Ciutat, ò Vila sino vn offici de jurisdicciò.* Hæc Constitutio est conformis dispositioni Iuris Communis, *de qua in l. fin.C. de Asseso. Et in l. quisquis. C. Cohortal. lib. 12. Font. decis. 247. num. 13. tom. 1. qui alios allegat.* Quare recipit interpretationem examinativam, declarativam, & restrictivam, quam super hac regula de Iure Communi DD. tradunt, vt tradit Olyba *de actio. tom. 1. par. 1. lib. 3. cap. 4. à nu. 20.* Font. *decis. 198. nu. 4. tom. 2.* Cancer. *var. par. 3. cap. 16. nu. 144.* Despuiol ad Mieres *verbo Constitutionum verba pag. 48. col. 2.* Hæc igitur nostra Constitutio Iuri Communi conformis, quam recipiat interpretationem à Iure Communi, & quid DD. super hoc articulo senserint, investigandum est.

2 Noster Thomas Mieres *in Coment. super hanc Const. cap. 14. colla. 4. fol 62. in impressione antiqua,* eam interpretando ita scribit: *Et quod hic dicitur de officiis iurisdictionis forte verum de iurisdictione, territorio coherenti, aliàs videretur secus.* Ad cuius rationis perfectam intelligentiã sciendum est; quando dicatur iurisdictionem, territorio coherere; dãtur enim iurisdictiones sine territorio, vt sunt Nottarij, & Iudices Chartularij, qui iurisdictionẽ exercẽt, involentes; nõ tamen habent territorium. Potest esse etiam territorium sine iuris-

dictione

dictione, veluti in Civitatibus, & Castris subditis; nam habent sua territoria deputata; carent tamẽ iurisdictione: Ideoque non inconvenit, quod vnus habeat Castrum, alius iurisdictionem. Vnde territorio coherere dicitur iurisdictio, quãdo eam intra certos fines magistratus, seu Dominus Castri activè exercet in subditos illius territorij. Hæc latè explicat Pereg. *ad rubr. de iurisd. ord. & deleg. lib. 1. à nu. 44.* & extra illud exerceri non valet; quia iurisdictio loco est terminata, & territorio coheret. Verba sunt Capiblan. *de off. Baron. super pragmat. 3. cap. 19. nu. 1. & 2.* Hæc igitur iurisdictio, quę territorio cohęret ordinaria est; cũ iurisdictio ordinaria contentiosa, territorio cohęreat, & terminetur; nihil enim est territorium, quã terrę spatium munitum, & ornatum iurisdictione, cui iurisdictio inhęret tãquam in re inanimata, sicut nebula super paludẽ; ita declarat Morotius *respons. 46. à nu. 12. ad 18.* Quando noster Mieres dicit, quod Constitutio est intelligẽda, quod vnus nõ possit duo obtinere officia iurisdictionis territorio cohęrentis intelligenda est, nempè de iurisdictione ordinaria, ita vt procedat Constitutio & prohibeat, neminem posse obtinere duo officia iurisdictionis ordinarię. Et verba Constitutionis hoc indicant; Non enim absolutè prohibet obtineri duo officia iurisdictionis in Principatu, sed in eadem Civitate, & Villa limitativè, quę de necessitate debent intelligi de iurisdictione ordinaria Civitati, & Villę, tanquam territorio cohęrenti. Vnde non prohibet Constitutio, quod quis non habeat duo officia iurisdictionis; vnum in vna, alium in alia Civitate, seu loco Principatus; etiam iurisdictionis ordinariæ.

3 Hæc autem duo officia Iudicis Retroclamorum, & Assessoris Capitaniæ Generalis, prętercquam quod non sunt certo loco præscripta, non cohęret territorio iurisdictio; quia Iudex Retroclamorum in omnibus Vicarijs suam iurisdictionem exercere potest, sicut & Assessor Capitaniæ Generalis in toto Principatu, & Comitatibus: Nec sunt eiusdẽ generis iurisdictionis, nam iurisdictio qua vti Assessor Capitaniæ Generalis exercetur est iurisdictio delegata, cum iurisdictio Excellentissimi Domini Locumtenentis Generalis delegata sit in Cathalonia, Mich. Fer. *par. 1. obs. cap. 9.* Olyb. *in vsat. alium namque cap. 4. nu. 32.* Font. *clau. 4. glos. 10. num. 10.* Cancer. *var. lib. 3. cap. 3. nu. 327.* & eodem modo iurisdictio Excellentissimi Domini Capitanei Generalis, consequenter etiam, & iurisdictio

ctio Assessorum Tribunalis Capitaniæ Generalis est delegata tanquam constituentium vnum corpus cum Domino Capitaneo Generali, vt caput, & Pręses Tribunalis; Non igitur procedit in hoc casu Constitutio, nec eius dispositionem contrafacit; quamvis Iudex retroclamorum sit Assessor Capitaniæ Generalis, cum non sint duo officia habentia exercitium iurisdictionis ordinariæ territorio Ciuitatis Barcinone cohærentia.

4 Prosequitur vlterius Mieres Commentando d. Const. *nu.* 3. in hæc verba: *Item fortè quod in capite dicitur, debet intelligi, quando sunt officia repugnantia.* Cum quibus verbis declarat idem Mieres, quod Constitutio procedit, quando duo officia sunt repugnãtia, seu incompatibilia: Hanc eãdem interpretationem huius regulę tradunt communiter DD. de Iure Communi dicentes regulam, quod quis duo officia non possit eodẽ tempore obtinere, procedere quando officia sunt inter se repugnantia, & incompatibilia; Itaut exercitium vnius impediat exercitium alterius, secus si eodẽ tempore nõ concurrerent in exercitio, & administratione, vt pulchre declarat Mastril. *de Magistra. lib. 2. cap. 11. num. 21.* plures allegat Roxas *de incompatibilitate par. 6. cap. 4. num. 13.* Carol. à Petra *super rittibus mag. Curiæ Vicariæ Neapol. in simili statuto ritu 8. nu. 3.* Frãciscus Maria Prato *discep. for. tom. 1. cap. 46. ferè per totum, & signan. num. 7. vbi in fine,* decisiones refert in casu quo fungens munere Advocati Pauperum cupiebat promoveri ad munus Assessoris Iudicis eiusdem loci: Pro quo erat facienda terna, & ei apponebatur quod erat inhabilis ad eum pręsentandum in terna, quia duo officia non poterat obtinere, & fuit resolutum, & declaratum non esse inhabilem, quia officia nõ erant incompatibilia, quia eodem tempore ambo, non exercebãtur.

5 Stat ergo firma limitatio, quã omnes DD. de Iure Cõmuni tenẽt, quod statutum prohibens quem duo officia eodem tẽpore obtinere, non procedit, quando officia sunt compatibilia; ita vt ambo simul regi, & iustitia ministrari possint. Itaque videmus nostri Mieres in terpretationẽ esse de Iure Cõmuni ab omnibus DD. stabilitã, & confirmatam. Quæ in hiis duobus officijs procedunt; nulla enim incõpatibilitas exercitij administrationis iustitiæ inter ipsa adest, nullum namque ex eis habet certam, & determinatam residentiam certo diei tempore, sed hæc officia in domibus eiusdem officialis reguntur, & iustitia administratur horis ipsi officiali benè visis, &

vt

vt magis ei commodius est. Ac propterea non contrafit huic Constitutioni, & ita invenimus fuisse observatum in Persona Ioannis Natalis de Prat, qui erat Iudex Retroclamorum, & simul Assessor Capitaniæ Generalis eodem tempore ab anno 1623. ad 1629. quam observantiam magni facit Prato *d. cap. 46. num. 24. & 25.* quia per eam actus interpretatur, & magis quia in officiis consuetudo est attendenda *l. minimè ff. de legibus, l. fin. C. quę sit long. consue.* Surd. *cons. 261. nu. 14. 15. 16. vbi plura allegat.*

5 Ex quibus concluditur non contrafieri salvo &c. Barcinonæ 23. Augusti 1673.

Bonaventura Tristany V. I. D.